



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Quæstio I. Quæ Beneficia sint incompatibilia, vel compatibilia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

700 *Tract. XI. De Beneficijs, Jure patronatus & Decimis. Dist. II.*  
juncto c. *Licet, canon. §. fin. de Election.* ubi dicitur, quòd super Re-  
sidentia personali Parochi *facienda potest Ordinarius ipsius gratiam di-*  
*spensationis ad tempus facere, prout causarationabilis id exposcit.*

Solvitur  
instantia.

80. Nec obstat, quòd Parochus Jure naturali teneatur ad  
Residentiam personalem. Resp. enim, id intelligendum seclu-  
sâ iustâ causâ, & cessante legitimâ dispensatione. Verùm de Re-  
sidentia Beneficiorum, & pœnis non residentium, plura Ca-  
nonistæ, *Tit. de Clericis non residentibus &c.*

## DISTINCTIO II.

### De Incompatibilitate, Renunciatione, & Permutatione Beneficiorum.

#### QUÆSTIO. I.

Quæ Beneficia sint incompatibilia, vel com-  
patibilia?

Mala ex  
pluralitate  
Beneficio-  
rum simul  
retentorum  
obvencien-  
tia.

1. **Q**uanta mala oriri soleant in Ecclesia Dei, dum nonnulli  
plura obtinent Beneficia Ecclesiastica, paucis compre-  
hendit Pontifex c. *Quia in tantum, de Prabend.* dicens, quòd  
*multitudo Prabendarum canonibus inimica, dissolutionis materiam & evan-*  
*gationis inducit, certumque continet periculum animarum.* Eadem mala  
amplius deplorat Pontifex *in Extravag. Execrabilis, de Prabend.* eò  
quòd execrabilis quorundam ambitio, & improbitas importuna,  
plura à Romanis Pontificibus non tam obtinere, quàm extorque-  
re plerùmque noscuntur Beneficia: adeò, ut (præter alia in-  
commoda, quæ ibidem recensentur) multi alij litterati, probi-  
que Viri à consecutione competentium Beneficiorum impedian-  
tur, cultus Divinus minuat, hospitalitas in ipsis Beneficiis debi-  
ta non servetur, atque Ecclesiarum detrahatur commodis & ho-  
nori, quæ carentes Defensorum auxilio, in juribus suis, & liber-  
tatibus multipliciter collabuntur.

Et quando-  
que possunt  
abesse.

2. Quia verò talia incommoda atque inordinationes, quan-  
doque certis concurrentibus circumstantijs abesse possunt; hinc  
non sequitur, universim illicitum esse, plura simul habere Bene-  
ficia.

Quinimò eorum quædam esse compatibilia, satis indicat Et dantur Beneficia compatibilia. textus in c. Gratia. de Rescriptis in 6. ibi: Si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri. Et idem manifestè supponit Concilium Trident. Sess. 7. cap. 4. de Reform. ibi: Plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia: nam hujusmodi limitatio frustra apponeretur, nisi aliqua extarent Beneficia compatibilia. Hinc Quæstio remanet, unde oriatur, & quæ sit incompatibilitas Beneficiorum Ecclesiasticorum.

3. CONCL. I. Incompatibilitas Beneficiorum Ecclesiasticorum generatim ex duplici capite oritur: videlicet, si aut ipsa Beneficiorum institutio non permittat, ut plura ab eodem administrantur; aut si unum eorum ad honestam Beneficiarij sustentationem sufficiat. Ita communis, uti patebit ex dicendis. Et quidem, quantum attinet priorem partem, seu Beneficia de se incompatibilia, ex professo de ipsis dicitur n. 9. & seqq.

4. Quòd autem cessante justâ dispensatione sit illicitum, si plura Beneficia, licet cæteroquin compatibilia, simul retinere; si unum ipsorum ad honestam Clerici sustentationem sufficiat, tenet Glossa communiter recepta in c. Dudum. 54. §. Retinere de Eleet. ubi ait: Nota, quòd qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud. Idem ad longum propugnat Abbas in c. Extirpanda. §. Qui verò. num. 34 & seqq. de Præbend. & Layman lib. 4. tract. 2. cap. 8. num. 2. citans plures Alios. Desumitur hoc ex c. Sanctorum. dist. 80. & c. Conquerunt. de Clericis non resident. & c. Cum teneamur. de Præbend. cum concordantijs. Accedit Concilium Trident. Sess. 24. cap. 17. de Ref. ibi: Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimum officia occupat Clericorum &c. Statuit, ut impostèrùm unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quòd quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre: & consequenter à sensu contrario, & quia exceptio firmat regulam in oppositum, quando unum Beneficium sufficit ad honestam Clerici sustentationem, alterum conferri, & retineri non potest. Confirmatur: quia repugnat rationi naturali, ut quis plura simul non necessaria Beneficia occupando, defraudet alios Clericos à consecutione competentium Præbendarum, deturque ansa incommotis n. 1. enumeratis, nisi justâ causâ interveniente, atque accedente legitimâ dispensatione id honestetur.

Incompatibilitas Beneficiorum ex duplici capite oritur.

Si unum sufficit ad honestam sustentationem, non licet plura habere.

Quod Be-  
neficiam  
censetur  
sufficiens  
ad congruam  
sustentatio-  
nem ?

5. Quæres autem, quodnam Beneficium censetur sufficiens ad congruam Beneficiarij sustentationem ? Resp. Illud Beneficium censetur taliter sufficiens, ex quo Clericus pro status sui conditione, & se, & familiam suam honestè valet sustentare. Adde cum Vallensi, *tit. de Concess. Præbend. §. 4. num. 10.* & alijs, parentes, fratres, & consanguineos egentes : nam & hos potest Clericus ex redditibus Ecclesiasticis honestè sustentare, non autem augere ; prout tum ex Can. 39. Apostolorum, tum ex Concilio Trident. *Seff. 25. cap. 1. de Reform.* desumitur. Insuper circa hoc Glossa *in c. Conquerente. §. Sufficiencia. de Clericis non resid.* observat, atque ex utroque Jure ostendit, quòd oporteat, quantum ad propositum, considerare plura alia, utpote nobilitatem, scientiamque : quia tales Personæ sunt amplioribus redditibus honorandæ, *c. De multa. §. fin. de Præbend.* Item, quòd etiam hospitalitas, ipsaque jura Episcopalia persolvenda attendi debeant : nam Clerici & hospitalitatem tenere, & jura Episcopalia persolvere, & insuper congruam suæ personæ, familiæque sustentationem habere debent, *c. de Monachis. de Præbend.* cum concordantijs. Et hinc, quodnam Beneficium dicatur sufficiens ad congruam sustentationem, arbitrio Judicis relinqui paulò plùs, vel minùs æstimandum, consideratis considerandis, qualitate scilicet personarum, locorum & temporum, resolvit Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. univ. cap. 13. num. 183.* citans plures alios.

Beneficia de  
se compati-  
bilia, quæ ?

6. CONCL. II. *Beneficia de se compatiblea* sunt ea, quæ vel ex Jure communi, vel ex consuetudine, Statuto, aut Fundatione simul obtineri, ac retineri possunt. Talia sunt imprimis Beneficia simplicia non requirentia personalem residentiam, vel quorum unum requirit residentiam, alterum verò non : nam in his faciliùs admittitur pluralitas, si ita necesse sit ad honestam Clerici sustentationem ; prout colligitur ex Concilio Trid. *Seff. 24. de Reform. cap. 17.*

Beneficia  
simplicia  
ultra duo  
nequeunt  
haberi.

7. Cæterùm Barbosa *loc. cit. num. 180. & 182.* refert, Sac. Cardinalium Congregationem declarasse, quòd Episcopus non possit plura Beneficia simplicia ultra duo uni conferre, usque ad sufficientem ejus sustentationem, absque Apostolica dispensatione. Et si de facto conferat tertium, collatio illius sit quidem valida, attamen quando istud est sufficiens pro congrua sustentatione Clerici, vacent ambo Beneficia priora ; sin minùs, vacet primum.

8. Deinde Beneficia compatibilia censentur, quae in diversis Ecclesijs sunt, & nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Layman cit. cap. 8. n. 7. & alij. Insuper Beneficia de se compatibilia in eadem Ecclesia dicuntur, quae difformia sunt, v. g. Praepositura & Canonicatus: qualia proinde, cum utrisque simul satisfieri possit, etiam in simul (si ita necesse sit ad congruam Clerici sustentationem) retineri possunt, arg. cap. 1. de Consuetud. in 6. Nisi alicujus Ecclesiae speciale Statutum, vel consuetudo repugnet.

9. CONCL. III. Beneficia de se incompatibilia (id est, abstractendo ab eo, quod unum eorum ad honestam Beneficarij sustentationem sufficiat) sunt ea, quae vel Jure naturali, vel Jure communi Ecclesiastico, aut ex consuetudine, Statuto, seu Fundatione, continuam residentiam personalem postulant: ut sunt duo Episcopatus, duae Abbatiae, duae Parochiae, duae perpetuae Vicariae, & caetera curata Beneficia. Item duae Dignitates, Personatus, aut duo Officia personalem residentiam requirentia, arg. c. Ad hac. & c. Praterea. & c. Cum non ignores. & c. De multa, de Prabend.

10. Similiter Beneficia uniformia sub eodem testo, censentur incompatibilia: ut sunt duo Canonicatus in eadem Ecclesia. Caeterum per Beneficia uniformia sub eodem testo intelliguntur ea, quae in eadem Ecclesia ad eundem finem instituta sunt, adeoque habent idem prorsus onus & officium eodem tempore persolvendum: uti contingit in duobus Canonicatibus eisdem Ecclesiae.

11. Hinc infertur, quod duae Capellaniae in duobus Altaribus ejusdem Ecclesiae, fundatae cum onere, ut in uno Altari bis, in altero ter, distinctis diebus in eadem Ecclesia celebretur, non sint Beneficia uniformia, ac proinde de se compatibilia. Quia licet uno nomine generali Capellaniae appellentur, cum tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis Altaribus peragenda re ipsa non sunt uniformia, sed difformia Beneficia: quae proinde eidem conferri, & (dummodo primum eorum ad honestam Clerici sustentationem non sufficiat, neque constitutio, aut consuetudo particularis repugnet) simul retineri possunt.

12. Unde & Concilium Trid. Sess. 24. cap. 13. de Reform. statuit, quod si Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, aut Beneficia Parochialia, ob temporum injuriam redditus tam tenues habent, ut non sufficiant sustentationi decenti pro dignitate, ac qualitate

Uuuu

litate habenti.

## QUÆSTIO II.

Quæ sint poenæ recipientium plura Beneficia  
incompatibilia ?

Illicitum  
est, plura si-  
mul obtine-  
re Beneficia  
incompati-  
bilia.

13. **C**ONCL. I. Quodcumque vel alterum Beneficium suf-  
ficat ad honestam Clerici sustentationem, vel ipsamet  
Beneficia de se sunt incompatibilia, illicitum est, sicque  
peccaminosum, plura simul obtinere circa dispensationem Pon-  
tificiam. Ita communis. Et quidem, quantum ad primum mem-  
brum attinet, patet illud ex c. *Ad hæc. de Prab.* ibi : *Illud est omni ra-  
tioni contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesijs, plures Di-  
gnitates, vel Personatus obtineat.* &c. Huc accedunt textus, & mala,  
ex pluralitate Beneficiorum provenientia, de quibus num. 1.

Citra di-  
spensationem  
Pontificiam.

14. Altera pars, loquens de dispensatione Pontificia, ex eo  
probat : quia habere plura Beneficia, non est intrinsecè ma-  
lum, sicuti mentiri, blasphemare &c. sed quamvis habeat quan-  
dam mali speciem, ea tamen concurrentibus certis causis coho-  
nestari potest.

Triplex  
causa dispē-  
sandi in  
pluralitate  
Beneficiorum.

15. Porrò ejusmodi justa causa dispensandi in pluralitate Be-  
nificiorum, triplex à Doctoribus recenferi solet ; videlicet ne-  
cessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, & evidens meritorum præroga-  
tiva, arg. c. *Tali.* 1. q. 7. ibi : *Nisi forte eos aut maxima Ecclesie utilitas,  
vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prerogativa commendet.*

I. Necessitas  
Ecclesiæ.

16. Et quidem ob necessitatem Ecclesiæ possunt quando-  
que plura Beneficia, etiam ultra congruam Clerici sustentatio-  
nem conferri, si desint alij idonei Ministri : utputà in locis Hære-  
ticorum, in quibus est defectus Clericorum.

II. Utilitas  
Ecclesiæ.

17. Deinde ob utilitatem Ecclesiæ id accidere potest, quan-  
do unus solus, licet absens, magis putatur Ecclesiæ profuturus suâ  
auctoritate, potentiâ, doctrinâ & prudentiâ, quàm alius præsens,  
vel plures alij : qua de causa filijs Principum conferuntur interdum  
plures Episcopatus, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ contra  
Hæreticos potentius defendantur. Pirhing tit. de Prabend. num.  
191. & alij.

III. Evidens  
meritorum  
prærogati-  
va.

18. Tandem de evidenti meritorum prærogativa habetur  
textus clarus c. *De multa.* §. *fin. de Prab.* ibi : *Nullus plures Digni-  
tates,*